Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



et declinauimus a mandatis tuis ac iudicijs. Non obediuimus seruis
tuis prophetis qui loquti sunt in nomine tuo regibus nostris principibus
nostris patribus nostris omnique populo terre. Tibi domine iustitia. nobis autem
confusio faciei sicut hodie viris iuda et habitatoribus ierusalem
et omni israhel his qui prope sunt et his qui procul in universis terris
ad quas eiecisti eos propter iniquitates eorum quibus peccauerunt in te
domine. Nobis confusio faciei regibus nostris principibus nostris
et patribus nostris quia peccauimus tibi. Domino deo nostro miseri-
cordia et propitiacio quia recessimus a te et non audiuimus vocem domini
dei nostri ut ambularemus in lege eius quam proposuit nobis per
seruos suos prophetas et omnis israhel praeuaricati sunt legem tuam
et declinauerunt ne audirent vocem tuam et stillauit super nos ma-
ledictio et detestatio quae scripta est in libro moysi serui dei quia peca-
uimus ei. Et statuit sermones suos quos loquutus est super nos et
super principes nostros qui iudicauerunt nos ut superinduceret super
nos malum magnum quale nunquam fuit sub omni celo secundum quod factum
fuit in ierusalem. sicut scriptum est in lege moysi. Omne malum hoc
venit super nos et non roganuimus faciem tuam domine deus nostrum ut re-
uertamur ab iniquitatibus nostris et cogitemus iustitias tuas. et vi-
gilauit dominus super malitia et adduxit ea super nos. iustus dominus deus
noster in omnibus operibus suis quae fecit. Nos enim audiuimus vocem eius
Et nunc domine deus qui eduxisti populum tuum de terra egypti in manu
forti et fecisti tibi nomen sicut hodie diem hanc peccauimus iniquitatem
fecimus domine omnem iustitiam tuam. auertatur obsecro furor tuus
et ira tua a ciuitate tua ierusalem et monte sancto tuo. Propter
peccata enim nostra et iniquitates patrum nostrorum. ierusalem et populus
tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exau-
di deus noster orationem serui tui et preces eius et ostende faciem
tuam super sanctuarium tuum quod desertum est. Propter temetipsum
inclina deus meus aurem tuam et audi. Aperi oculos tuos et
vide desolationem nostram. et ciuitatem super quam inuocatum est nomen
tuum. Neque enim in iustificationibus nostris proiecimus preces ante
faciem tuam sed in miserationibus tuis multis. Exaudi domine
placare domine. attende et fac. Ne moreris. propter temetipsum deus meus